

et sacramenta præsertim Pœnitentiæ et Eucharistiæ administrando, et ideo in ordinatione sua potestatem remittendi peccata accipere: ergo, saltem in gravi necessitate potestatem sic divinitus acceptam exercere, et ad hoc se habiles reddere tenentur, ne dicatur quod in vacuum gratiam Dei receperint. Unde *Cornelius a Lapide*, in Matth. xxv, 18, ubi agitur de eo qui talentum tenuerat absconditum, ait: « Notent hoc qui ingenio, doctrina aliisque » dotibus sibi a Deo datis non utuntur ad suam aliorum- » que salutem, ob desidiam vel metum peccandi; ab iis » enim rationem reposeset Christus in die iudicii. »

Nec excusarentur hi sacerdotes dicendo se alio modo salutis animarum incumbere, v. g., precibus, adhortationibus, exemplis, etc.; nam in eo genere subveniendum est proximo in quo laborat: non sufficeret dare vestes pauperi fame morienti: ergo nec sufficit docere et exhortari peccatorem sacramento reconciliationis indigentem.

SECTIO QUINTA. — De obligatione interrogandi pœnitentes.

Sæpe accidit ut pœnitentes integre non confiteantur, alii ex timiditate, alii ex verecundia, alii ex mala fide, alii quia sunt rudes, ignari et in rebus ad salutem spectantibus parum diligentes. In sequenti sectione ostendemus quandoque pœnitentem in ignorantia vel errore relinquendum esse: in eo casu vitandæ sunt interrogationes quæ indirectæ monitioni æquivalerent. Tali circumstantia excepta,

Certum est confessarium in his casibus integritatem confessionis aptis interrogationibus procurare teneri, et, si ex ignorantia culpabili vel gravi negligentia id omittat, mortaliter peccare: nam officium iudicis, medici et ministri sacramenti gerit: atqui hoc triplici titulo pœnitentem in casibus supradictis interrogare tenetur.

1° *Ut iudex*. Prudentem enim sententiam ferre non potest, nisi causam integre cognoscat; debet ergo, in quantum opus erit, veritatem aptis interrogationibus exquirere.

2° *Ut medicus*. Numquid ut prudens haberetur medicus

qui, audita declaratione ægroti sibi suspecta et incompleta, sine ulla interrogatione remedia statim præscriberet? Ergo a pari confessarius imprudenter ageret, si pœnitentem aliquod necessarium tacentem non interrogaret.

3° *Ut minister sacramenti*. Eo enim titulo tenetur efficere, quantum in se est, ut sacramentum rite, juxta ipsius institutionem, administraretur: curare igitur debet ut pœnitens integre confiteatur, vere conferatur, satisfacere sit paratus, tum Deo, tum hominibus: porro hæc communiter sine interrogationibus obtinere non potest: ergo. Hæc assertio nostra confirmatur auctoritate concilii Lateranensis IV, can. 21, superius citati.

Quædam interrogationes faciendæ sunt ante confessionem, sed pauca, ne pœnitens offendatur; v. g., quærendum est ab ipso a quo tempore ultimo confessus fuerit, an sincere et cum vero dolore cordis, an pœnitentiam sibi injunctam impleverit et a mandatis confessarii non recesserit.

Cæteræ quæstiones circa ætatem, conditionem, statum, ignorantiam, etc., convenientius fiunt intra confessionem, data occasione, sicque omnis suspicio levitatis aut curiositatis vitabitur, quod maxime necessarium est. Patienter audiendus est pœnitens sine interlocutione, increpatione, suspirio aut execratione, sine ullo tædii, horroris, admirationisve signo; sed benigne intermittendæ sunt quæstiones necessariæ ad detegendum numerum, circumstantias et consuetudines peccatorum, nec non obligationes eis annexas, v. g., restituendi, famam reparandi, cum inimicis se reconciliandi, etc.

Aliquando vero faciendæ sunt interrogationes post absolutam confessionem, si nempe judicetur aliquod essentialis fuisse omissum, aut si dispositiones pœnitentis sufficienter non cognoscantur. Caveatur tamen ne pœnitens bene institutus et sincere se accusans, indiscretis quæstionibus absque necessitate fatigetur; non enim summa, sed mediocri et capacitati suæ proportionata diligentia se examinare tenetur: sufficit ergo ut confessarius mediocri

sollicitudine eum interroget : nec attendere debet ad integritatem materialem, sed ad eam cujus ille est moraliter capax, et vitare oportet quod sacramentum redderet pœnitentibus nimis onerosum et odiosum.

At si pœnitens sit rudis et a longo tempore non fuerit confessus, interrogandus est ab initio ad finem, percurrendo Decalogum, præcepta Ecclesiæ, peccata capitalia, officia proprii status; ea tantum quærendo peccata quæ hujusmodi hominibus sunt communia, sive contra Deum, id est, contra fidem, spem, charitatem et religionem; sive contra proximum, scilicet contra charitatem et justitiam; sive contra seipsum, videlicet contra sobrietatem, abstinentiam et castitatem, etc.

Quæritur 1^o qua methodo interrogandi sint pœnitentes.

R. 1^o Eos interrogare oportet de iis tantum quæ personæ ejusdem conditionis committere solent, nisi ex speciali declaratione aut responsione videatur aliter faciendam, ne inutilibus quæsitis confessio ipsis fiat odiosa.

2^o Cum experientia constet pueros et simplices peccata sua non fateri, si negativis quæstionibus interrogentur, sæpe juvat statim dicere ubi de peccatis apud eos consuetis agitur, v. g., *Quoties jurasti?* Si hæsitent in responsione, subjungendum est majorem numerum indicando, v. g., *Centies jurasti, blasphemasti?* etc. Tunc facilius respondent se excusando, et dicendo: *Oh! non toties.* — *Quoties ergo?* addit confessarius. Pœnitens numerum certum vel præsumptum indicat, et sic confessarius veritatem cognoscit.

3^o Quoad peccata contra castitatem, cautissime procedendum est, ne juniores ea doceantur quæ feliciter ignorant: incipiat ergo confessarius a levioribus, quærendo, v. g., quot turpes cogitationes habuerint, quomodo his resistierint; deinde quoties turpia desideria conceperint, quoties verba obscena protulerint, quoties oscula vel tactus leves passi sint aut fecerint: in quibus si reperiantur innocentes, ultra progrediendum non erit. Si autem rei inveniatur circa cogitationes et desideria, paulatim examinandi erunt circa oscula, aspectus et tactus; in quibus

si iterum rei sunt, interrogandi erunt de opere consummato. At si negent cogitationes turpes et peccata cordis, dum actus externos fatentur, signum est eos non satis intelligere quid sit peccatum internum, et adjuvanda est eorum ignorantia aut verecundia. Et ideo quandoque, cum rudibus, incipiendum est ab actibus externis ut ad internos tutius deveniatur.

Præterea, ut disponantur ad detegenda graviora crimina, præsertim contra castitatem, juvat eos interrogare an socii eos ad turpia sollicitaverint, quoties consenserint. Item a junioribus personis alterius sexus quæ turpia confiteri verentur, quærendum est an turpes cogitationes in mentem venerint, quoties eis consenserint, an se ab aliquo tangi passæ sint, etc. Quoad interrogationes faciendas personis conjugatis, remittimus ad calcem Supplementi nostri ad *Tractatum de Matrimonio*.

Jam vero, ne confessarius sibi vel pœnitenti causa existat turpis tentationis vel scandali, cum dispositionibus sequentibus sollicite curet interrogare: 1^o pie, mentem ad Deum elevando; 2^o pudice, verbis intelligibilibus quibusdam, sed omnino honestis et castitatem redolentibus utendo; 3^o prudenter, ita ut circumstantias omnino necessarias inquirat, modos autem et circumstantias minus essentielles non scrutetur; præstat enim statum pœnitentis non omnino intelligere quam sibi vel illi scandalum creare; et qui secus faciunt, recte dicuntur contaminatores confessionis, potius quam confessores; 4^o circa alia peccata quæ non sunt contra castitatem, debet interrogare, prout prudentia suggesserit, non solum de opere externo, sed etiam de cogitatione morosa, de desiderio, de scandalo, de omissione, de consilio, etc. Quærendum est a pœnitente an periculo peccandi se exposuerit, an officio suo defuerit: pauci enim ad obligationes status sui attendunt, pauciores de peccatis circa eas admissis se accusant et multo minus se emendant. Denique optimum est quærere a pœnitente sub fine an insuper aliquid conscientiam ejus gravet.

Ut autem magis prosint interrogationes istæ et similes,

si quos invenerit confessarius timidos, pusillanimes, aut peccata confiteri erubescentes, excitabit eos, proposita ipsis divina clementia, paterna misericordia, humana fragilitate ipsi nota, inutilitate incertæ confessionis, inviolabilis sigilli obligatione, auxilio eis promisso. E contra, si protervos inveniat et impudentes, suaviter quidem, sed graviter moneat ipsos non ante hominem, sed ante Deum et Christum Dominum, cujus locum tenet confessarius, sisti, tanquam reos læsæ majestatis divinæ; Deum non irrideri, æternam eorum salutem periclitari, pœnas inferni impœnitentibus, et multo magis sacramento Pœnitentiæ abutentibus esse paratas, etc.

Has interrogandi formulas e Theologia Pictaviensi fere de verbo ad verbum extraximus, quia prudentiæ regulis fundatæ esse videntur.

Quæritur 2º quid agere debeat confessarius qui novit peccatum quod pœnitens non accusat.

R. Vel peccatum istud cognoscit per alterius confessionem, vel per viam naturalem.

1º Si cognoscit illud per alterius confessionem, ea notitia uti non potest ad pœnitentem de illo specialiter interrogandum, nisi expressam ab altero obtinuerit licentiam; hoc patebit ex infra dicendis, ubi de sigillo. Debet ergo sistere in interrogationibus generalibus, nisi peccatum sit commune personis conditionis pœnitentis; tunc eum specialiter interrogare poterit de illo peccato, cavendo tamen ne aliquam suspicionem de confessione alterius præbeat.

Confessarius qui audit pœnitentem aliquod peccatum cum altero commissum declarantem, si complicem nondum in confessione audierit, sed auditurus sit, prudenter ageret petendo licentiam illum circa tale peccatum, prout opuserit, interrogandi: tunc in eo casu difficultatem e negatione peccati sequentem præcaveret. Si vero complicem jam audierit, sinceritatem ejus in suspicionem adduceret, licentiam eum interrogandi petendo, sicque inviolabilitatem sigilli læderet.

2º Si autem peccatum per viam naturalem cognoscat,

v. g., quia transgressionem vidit, aut ex fama publica audivit, de illo specialiter interrogare potest.

SECTIO SEXTA. — De obligatione monendi et erudiendi ignorantes.

Sæpe occurrunt pœnitentes multa scitu necessaria ignorantes; juvat ergo statuere quomodo erga illos agere debeant confessarii. Ignorantia autem versari potest circa ea quæ necessaria sunt ad salutem necessitate medii, ut sunt mysteria sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis et Redemptionis; vel circa ea quæ necessaria sunt tantum necessitate præcepti. Rursus ignorantia potest esse vincibilis, vel invincibilis.

Certum est 1º confessarium teneri interrogare et monere pœnitentem quem versari videt aut præsumit in ignorantia vincibili aut invincibili mysteriorum quorum fides explicita necessaria est necessitate medii; nam qui tali laborat ignorantia, incapax est absolutionis, ut constat ex damnatione sequentis propositionis n. 69 ab Innocentio XI: « Absolutionis capax est homo, quantumvis » laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per » negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium » sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis Domini nostri » Jesu Christi. » Hæc altera n. 65 fuit pariter ab eodem Pontifice damnata: « Sufficit illa mysteria semel credidisse » (*Curs. compl.*, t. VI, col. 713 et 714). Sive ergo pœnitens monitioni confessarii cedere prævideatur, sive non, monendus est, cum in tali ignorantia absolvi nequeat. Unde *Benedictus XIV*, Const. *Etsi minime*, Bullarii, t. 1, § 12:

« Sacerdos excipiens confessiones, fixum illud immo- » tumque animo semper habeat, invalidam esse abso- » lutionem sacramentalem quam quis ignoranti res » necessarias necessitate medii impertitur, nec posse ho- » mines Deo per hujusmodi sacramentum reconciliari, » nisi prius, excussa hujus ignorantie caligine, ad agni- » tionem fidei adducantur. »

Certum est 2º monendum esse pœnitentem qui versatur in ignorantia mortaliter culpabili veritatum quarum fides

explicita necessaria est necessitate præcepti; quia tali ignorantia laborans, absolutione indignus est. Idem dicendum est, si aliquid mortaliter malum ex ignorantia vincibili agat, aut in ignorantia officiorum proprii status versetur, quia non excusatur a peccato. Fieri tamen potest ut circa quædam officia status ignorantia excuset, saltem a mortali, præsertim ubi mos invaluit, et tunc redit regula prudentiæ in interrogationibus faciendis.

Notandum est, in hoc et in præcedenti casu, confessiones cum tali ignorantia factas, nullas esse atque iterandas a tempore quo existit ignorantia. Sedulo igitur et prudenter interrogandi sunt pœnitentes, quoties datur locus suspicandi eos aliquid scitu necessarium ignorare. Si veritates creditu necessarias substantialiter intelligant, non inquietandi sunt circa confessiones præteritas, etsi aliquas forte in ignorantia olim fecerint.

3° Si autem ignorantia pœnitentis sit invincibilis, vel tantum venialiter culpabilis, et circa veritates necessarias necessitate medii non versetur, petitur quid agere debeat confessarius.

R. Primum omnes fatentur confessarium falsum dicere et pœnitentis errorem positive confirmare non posse, quia hoc esset intrinsece malum. Interrogatus ergo, veritatem aperire deberet, alioquin silentium ejus approbationi erroris æquivaleret. Prudenter tamen ultra petita respondere non deberet, ut recte notat *S. Lig.*, l. 5, n. 616. *His notatis*,

Vel adest spes emendationis, vel non: si nulla spes emendationis affulgeat, communiter non monendus est pœnitens: prudentia quippe suadet non facere monitionem quæ pœnitenti obfutura est, efficiens ut deinceps formaliter peccet, dum antea materialiter tantum peccaret, et nullo modo prodesse debet, ut supponitur.

Diximus *communiter*; nam facienda est monitio, 1° si prævideatur fore ut resistentia pœnitentis aut ignorantia ejus brevi cessatura sit, quod ex variis æstimatur circumstantiis; 2° si pœnitens bona fide versetur in proxima occasione formaliter peccandi, quia tunc silentium finem

propositum non obtineret; 3° ordinarie, si pœnitentis ignorantia bono publico damnum directe inferat, puta si quis falso credit se esse sacerdotem; 4° tandem communis, si confessarii silentium in scandalum multorum vergere debeat; v. g., si praxis de re illicita apud multos obfirmanda est. In hoc casu attente pensanda sunt sive bona, sive mala quæ ex monitione vel ex silentio, tum pœnitenti, tum aliis obventura prævidentur, et minus eligendum est malum.

Si vero spes emendationis in pœnitente affulgeat, vel aliquid prævidetur secuturum incommodum, vel non: in posteriori casu facienda est monitio, *ut patet*; in priori vero, conferendum est incommodum quod timetur cum deformitate in peccato materiali existente, et pars quam prudentia suggesserit eligenda est.

Hinc vir qui nullitatem matrimonii sui ignorat, et prævidetur quod monitus, illud non convalidaturus sit, non monendus est; prævidetur e contra quod illud convalidare paratus esset, sed uxor obstinate recusabit, et nihilominus ambo rem secum habebunt, iterum non monendus est, et tamen absolvendus, quia minus malum est illum in peccato materiali relinquere, quam utrumque evidenti periculo formaliter peccandi exponere.

Dices: Qui non paratus est Deum omnibus anteferre, indignus est absolutione: at ille quem confessarius prævidet monitioni non cessurum, non paratus est Deum omnibus anteferre: ergo indignus est absolutione. Ita auctor operis aliunde commendandi, cui titulus: *La Conduite des Confesseurs*.

R. Nego min. Qui enim paratus est omnia generatim sufferre potius quam Deo displicere, Deum omnibus anteponeat: atqui prævisio confessarii non impedit quin pœnitens hic et nunc paratus sit omnia generatim sufferre potius quam Deo displicere: non enim judicandus est ex possibilibus, nec ex probabilibus, habita ratione circumstantiarum in quibus supponeretur constitutus, sed ex dispositionibus ejus realiter existentibus: et confessarius qui fingeret hypotheses difficiles easque pœnitenti

proponeret, stulte ageret atque imprudenter eum tentaret, ait *S. Thomas*, Quodlib. 1, art. 9. Quot enim homines qui leviter tentati facile vincunt et in gravioribus periculis miserabiliter ruerent! Numquid hæc prævisio eos reddit absolutione indignos? Certe hoc admitti non potest, alioquin dicendum foret hominem puniendum esse pro peccatis possibilibus quæ nunquam admittet: porro hæc sequela ab omnibus rejicitur. Ergo.

In dubio autem an monitio profutura vel obfutura sit, omnia sedulo perpendi debent, et quod videtur minus malum est eligendum: si vero, omnibus perpensis, dubium perseveret, omittenda est monitio. Sic cum aliis *S. Ligorius*, l. 6, n. 616, in fine.

Cæterum, animadvertite confessarium teneri pœnitentem ignarum pro viribus instruere, mysteria fidei lucide exponendo, motiva credibilitatis explanando, regulas morum nitide pieque proponendo, etc.

Queritur 1° an confessarius absolvere possit pœnitentem quem videt sequi opinionem minus tutam et minus probabililem.

R. Si pœnitens ipse judicet opinionem quam sequitur esse minus probabilem vel tantum æque probabilem, conscientiam non habet actionem suam esse bonam, sed in dubio constituitur: ergo absolvi non potest, nisi, juxta non paucos, conscientiam per principia reflexa sibi efformet, et credat talem agendi rationem sibi esse licitam; de hoc alibi. Si vero opinio sit in materia controversa, et uni probabilior, alteri minus probabilis videatur, confessarius exigere non potest ut pœnitens, præsertim doctus, sententiam mutet; non enim opinionum est iudex, nec ipsius est officium cunctas controversias auctoritate sua dirimere. Ita, contra *Concina*, *P. Antoine* aliosque paucos, communiter theologi, ut videre est apud *S. Ligorium*, lib. 6, n. 604.

Queritur 2° quid agendum sit erga senes, hebetes et rudes, qui mysteria necessitate medii necessaria discere aut retinere non possunt.

R. Si ex negligentia eorum id accidere videatur, in-

struendi sunt et remittendi donec didicerint quæ crediti sunt necessaria, juxta capacitatem suam. Si vero ex memoriæ imbecillitate id proveniat, et assidui conatus frustra adhibiti fuerint ad illos edocendos, tunc confessarius mysteria ipsis proponat, actum fidei actualis præformet et eis suggerat, sicque efficiet ut ipsi hujusmodi actum eliciant, et absolutionem impertiet. Simili methodo actus spei, charitatis et contritionis ab eis obtinebit, et curare debet ut ad se vel ad aliquem familiarem frequenter accedant, atque eadem via prædictos actus formaliter renovent. *Dens*, t. vi; *La Conduite des âmes*.

Solliciti esse debent pastores erga infelices hujusmodi homines, ne sacramentis Ecclesiæ maneant privati, et nihil non moliri ut eos per se vel per alios erudiant.

Eandem habere debent sollicitudinem erga surdumotos, quos tenentur edocere, atque peccata eorum summatim intelligere, ut eos absolvere et ad Eucharistiam saltem in Paschate admittere possint. *S. Lig. Praxi conf.*, n. 102.

SECTIO SEPTIMA. — De obligatione quam habet confessarius dignoscendi et procurandi contritionem in pœnitente.

Contritio est pars essentialis sacramenti Pœnitentiæ: confessarius ergo absolutionem, extra casum necessitatis, dare non potest, nisi prudenter judicet adesse in pœnitente contritionem sufficientem. Præcipua autem signa quibus eam dignoscet, sunt: 1° si pœnitens, satis instructus, cordate asseveret se de peccatis sinceriter dolere, et firmum habere propositum non peccandi de cætero; 2° si ante confessionem maturum examen adhibuerit, oraverit, desiderium veræ contritionis habuerit, eamque pia consideratione excitare tentaverit; 3° si omnia peccata sua, etiam majora et turpia, candide et humiliter declaret, sine ulla tergiversatione aut vana excusatione; 4° si e pio aliquo motivo ad confessionem libere accesserit, non vero ex aliquo respectu humano; 5° si e desiderio conversionis a peccato jam cessaverit, occasiones, v. g., tabernas, talem aut talem personam, deseruerit; 6° si pœ-

nitentiam sibi injunctam et peccatis proportionatam libenter acceptet aut majorem postulet.

Hæc contritionis signa aliaque similia ordinarie sufficiunt. Dicimus *ordinarie*, quia fieri potest ut specialis aliqua circumstantia suadeat majora requirenda esse conversionis indicia.

Dubitari autem non potest quin confessarius teneatur, ratione officii sui, contritionem excitare in poenitente, quem prudenter judicare non potest sufficienter contritum : alioquin periculo absolvendi indignum se exponeret, et animam sibi commissam in discrimen salutis conjiceret. Paratas igitur habeat rationes urgentes e libris spiritualibus, et præsertim e meditationibus sanctis haustas, quas pro diversa poenitentis qualitate breviter, clare et pie studebit proponere, ut eum ad detestationem vitæ præteritæ et emendationem futuræ excitet. Interdum quæret ab eo an poeniteat, an firmum habeat propositum non peccandi; et quandoque juvabit eum differre, vel aliquam moram ei concedere, ut gratiam veræ contritionis a Deo postulet, motiva proposita perpendat, peccata detestetur atque ea deinceps vitare firmiter sibi proponat, et postea ad suscipiendam absolutionem redeat.

Motiva quæ metum incutiunt, aptiora sunt rudibus peccato assuetis : proponenda sunt ipsis æterna damnatorum supplicia, dæmonum cruciatus, ira Dei omnipotentis in cujus manus horrendum est incidere : enumerari possunt bona peccato amissa, ut gratia Dei, filiatio, hæreditas ejus, dona supernaturalia, immensæ divitiæ quibus nudata est eorum anima, cum, peccato mortua, facta est dæmonum hospitium. Narrabit etiam confessarius punitionem Angelorum, vel Core et ejus assecularum, qui, terra dehiscente, sepulti sunt viventes in inferno. Addere poterit : Vos eodem supplicio jam torqueremini, nisi benignitas Dei, qui non irridetur, poenitentiam vestram expectasset.

Motiva amoris proponi debent iis qui facilius emolliiri possunt, v. g., summa Dei bonitas, suprema ipsius ma-

jestas, immensa Christi charitas, passionis ejus tormenta, sputa, opprobria, mors ignominiosa et simul dolorosa; ingratitude peccatorum qui reddunt Deo odium pro dilectione, injurias pro beneficiis; insania peccatorum qui totum vitæ tempus in obsequium diaboli, mundi et carnis impendunt, etc.

Si quis in malo obduratus, his aliisve similibus motivis non emolliatur, nec contritus appareat, dimittendus est non absolutus, ne poenitentia quidem illi injuncta, si nihil promittere velit : si vero conversionem suam desiderare judicetur, bonum erit ipsi injungere ut singulis diebus multoties contritionem petat, fidem in se excitet, novissima hominis magis ac magis consideret, et, post aliquot dies, ad confessarium redeat.

§ II. — De obligationibus confessarii quæ spectant ad absolutionem.

Nobis dicendum est 1° de ipsius obligatione generali dandi aut differendi absolutionem; 2° de ejusdem agendi ratione erga eos qui tenentur ad restitutionem, reparationem injuriæ, aut ad reconciliationem; 3° erga eos qui in proxima occasione peccati versantur; 4° erga consuetudinarios et recidivos; 5° erga eos qui peccata sua negant; 6° erga moribundos sensibus destitutos; 7° erga scrupulosos; 8° erga personas devotas; 9° erga eos quos male absolvit.

SECTIO PRIMA. — De generali obligatione confessarii in danda aut differenda absolutione.

Præter dilationem absolutionis, fere omnes theologi dicunt illam quandoque negandam esse : potest equidem aliquod discrimen inter dilationem et negationem assignari, quasi absolutio differatur indispositis, donec melius disponantur, et absolute negetur indignis. Attamen, cum omnes se disponere possint, et nullus rejiciendus sit ut desperandus, rectius est dicere absolutionem stricte non negandam, sed, extra casum necessitatis, differendam esse donec requisitæ dispositiones existant.

Certum est 1° confessarium teneri ex justitia regulariter absolvere pœnitentem rite confessum et legitime dispositum : nam ipso confessionis facto quidam initus est contractus sacer, vi cujus pœnitens, rite confessus et legitime dispositus, habet jus ad sacramentum. Ergo.

Diximus *regulariter*; quia si confessarius aliquo indigeat tempore ad consulendos libros aut viros doctos super peccata sibi declarata, absolutionem differre potest; item si prudenter judicet dilationem pœnitenti fore utilem ad præcavendos relapsus, quia non tantum est judex, sed et medicus.

Certum est 2° indispositum non absolvendum esse, et confessarium in eo casu, nisi errore inculpabili aut venialiter tantum culpabili excusaretur, mortaliter peccare, licet sacramentum sit nullum; nam profanatio ritus sacramentalis, ex omnium confesso, sufficit ad constituendum peccatum mortale.

Obligatio autem dandi aut differendi absolutionem, juxta dispositiones pœnitentis, verbis institutionis sacramenti, *Quorum remisistis... quorum retinueritis*, etc., fundatur: confessarius igitur sedula investigatione dignos ab indignis secernere debet, quia non minus ipsi periculum est in injusta denegatione quam in indigna absolutionis concessione: imo, ut sapienter observat *Dens*, post *Steyaert*, regula est absolvere, cum sacramentum ad reconciliationem institutum fuerit, et exceptio absolutionem differre, nempe eis qui nondum parati sunt. Caute igitur gradiatur confessarius inter duo extrema, pari sollicitudine devitans et laxitatem quæ peccatores in vitiis sopitos ad inferos deducit, et rigiditatem quæ eos desperans, a sacramento proindeque a via salutis retrahit. Omnes affectu paterno suscipiat et præsertim quos remittere cogitur, ut dilatio ipsis tolerabilior fiat.

Quidam theologi dicunt pœnitentem absolvendum non esse, nisi confessarius moraliter certus sit de præsentia legitimarum ipsius dispositionum.

Alii vero multo rectius dicunt sufficere ut prudenter

judicet pœnitentem esse dispositum, id est, ut innitatur motivo non certo et infallibili, sed gravi et comparative probabiliori quo vir prudens in assensum determinetur. Quando materia sacramentorum est physica, ut in Baptismo et Eucharistia, requiritur certitudo physica ad licitam eorum administrationem; sed ubi materia est moralis, ut in Pœnitentia, sufficit confessarium habere prudentem probabilitatem de dispositione pœnitentis, licet aliqua suspicio indispositionis subsistat; alias vix ullus absolvi posset, cum qualibet signa pœnitentium probabilitatem tantum subministrant.

Confessarii igitur qui peccatorem absolvere nolunt, nisi evidenter judicent illum esse recte dispositum, graviter errant, et clavibus Ecclesiæ sibi commissis, non ad aperiendum, sed ad claudendum regnum cœlorum utuntur: dum alii, omnes indiscriminatim absolventes, æternaliter cum eis pereunt.

Sequitur ex dictis pœnitentem, cujus dispositiones sunt tantum dubiæ, extra necessitatem absolvi non posse, quia tunc non adest judicium prudens illum esse recte dispositum.

Dicimus *extra necessitatem*; omnes enim fatentur sacramenta in necessitate potius exponenda esse quam hominis salutem, quia propter homines fuerunt instituta. Tunc confessarius prudenter judicat, non quidem de dispositionibus pœnitentis, sed de bonitate suæ actionis; sic in dubio absolvit moribundos, ut infra dicemus.

Alius est casus cujusdam necessitatis *moralis*, juxta multos; nempe, si, ex denegatione absolutionis, pœnitens in desperationem sit conjiciendus, a confessione amovendus in posterum, etc.; tunc non pauci aiunt sacramentum nullitati exponendum esse, innixi hoc principio: Sacramenta sunt propter homines. Ita *S. Ligorius*, l. 6, n. 432.

Verum hæc sententia non nisi cum maxima cautione admittenda est in praxi, alioquin tota confessionis disciplina evanesceret. Aliunde non facile concipitur quomodo liceat sacramentum pœnitentiæ probabili periculo

exponere ob necessitatem quæ a sola pœnitentis malitia pendet.

Hæc igitur necessitas moralis orta ex metu ne pœnitens desperetur, confessionem deserat, in sectam schismaticam aut hæreticam transeat, confessarium et veritatem detestetur, confessarium laxum adeat, scandalum faciat, infamiam vel damnum quoddam incurrat, etc., nobis quidem videtur rationabile motivum ut facilius aut promptius absolutio concedatur, habita ratione circumstantiarum, non autem ut generaliter de- tur absque prudenti iudicio de dispositionibus pœnitentis.

Confessarius de dispositionibus sui pœnitentis, omnibus perpensis, adhuc dubitans, eum interrogare potest, v. g., an vere doleat, an firmum habeat propositum non peccandi, etc.; et tunc ei non semper credet, ut quidam volunt, sed ex responsionibus ejus quandoque prudens efformiare poterit iudicium.

SECTIO SECUNDA. — De agendi ratione confessarii erga eos qui ad restitutionem, reparationem injuriæ aut reconciliationem tenentur.

Certum est pœnitentem qui, ex principiis alibi expositis vel exponendis, ad restitutionem, reparationem injuriæ aut reconciliationem cum inimicis tenetur, et huic obligationi satisfacere recusat, absolvi non posse; actua- lem enim et perseverantem habet voluntatem peccandi. Si autem promittat se quamprimum satisfacturum, et videatur sincerus, una et altera vice sub hac promissione absolvi poterit; præsertim si aliqua ratio prudentiæ id faciendum suadeat. At ubi semel aut iterum promissioni defuit, neganda est regulariter absolutio donec satisfecerit, quia confessarius jam prudenter judicare non potest ipsius propositum esse sincerum.

Diximus *regulariter*; nam tales occurrere possunt circumstantiæ extraordinariæ, ut prudenter judicari possit pœnitentem non futurum infidelem, sicut antea fuit: tunc absolvi potest, imo et debet, si jus ad sacramentum habeat.

In articulo mortis absolvendus foret etiamsi propositum non magis videretur sincerum, *ut ex infra dicendis patebit.*

Eodem modo ratiocinandum est de iis qui res creditu necessarias necessitate præcepti ignorant; vel eas ediscere promittunt, et tunc semel aut iterum absolvi possunt: si autem promissioni non steterint, differenda est absolutio, extra casum necessitatis, donec eas sufficienter didicerint. *Ita omnes theologi.* Si vero erudiri nolint, certe absolvi nequeunt.

SECTIO TERTIA. — De agendi ratione confessarii erga eos qui versantur in occasione peccandi.

Quælibet res externa ad peccatum inducens, dicitur occasio peccati: alia est remota et alia proxima; alia voluntaria et alia necessaria. Occasio remota ea est quæ probabiliter de facto non ducet ad peccatum: proxima vero est illa in qua homo verisimiliter peccaturus est. Unde alia est absolute proxima quæ nata est omnes in peccatum inducere, ut turpes aspectus vel tactus, præsertim in personas alterius sexus; alia vero respectiva, quæ respectu unius est proxima, dum respectu alterius esset remota, quales esse possunt saltationes et choreæ.

Occasio igitur non est remota vel proxima, prout raro vel frequentius in peccatum inducit: potest esse proxima respectu unius personæ quæ nondum peccavit, v. g., si junior puella adhuc innocens sola cohabitatura sit cum viro moribus perditio, quia verisimile est eam peccaturam esse.

Occasio est voluntaria, si pœnitens eam tollere possit, ut si ebriosus adeat cauponem, vel si herus retineat ancillam quæ sibi est causa ruinæ: est vero involuntaria, quando pœnitens eam auferre nequit, ut, v. g., si filiafamilias a servo patris, vel a fratre suo sollicitetur in crimen. Impossibilitas eam tollendi potest esse physica, ut si quis cum concubina incarceretur; vel moralis, si nempe occasio deseri non possit sine peccato, ut esset uxor respectu mariti, vel sine gravi detrimento, ut offi-